

### III.

# NEOVIDENSIS

Nro 10. ( *Neovidensis* 1805. Nro6.)

---

*Pontificalis apex tuus est Colocza secundus,  
Quantis sis, constat, condecorata viris!*

*Dux belli, et Praesul Tomorius indicat orbi  
Vivendi licitos, illicitosque modos.*

---

*Elysium -- Meum. -- Die Veneris 1. Feb: 1805. (Neov. 18. Jan.)*

---

#### Sententia:

*Debemus vivere, sed etiam sinere, ut alii vivant.*

Proverbium in tertio Capite, de Fraude.

**N**ec possumus, nec debemus, uti mihi videtur, relate ad jus proprietatis, & illuminationem, quæ æque ad malum, quam bonum nos ducit, notionem veræ honestatis, utpote motivum recte agendi, ex animo ejicere, neque potest sensus moralitatis, dum minores invasiones in Meum, & Tuum occurrunt, certitudinem proprietatis compensare. Hac de causa illud adagium! — Debemus vivere, sed etiam sinere, ut alii vivant, — oportet rite intelligere.

Lubenter possumus homini in nostro servitio existenti indulgere, ut sibi aliquid adquirat, si officio, pro, quo solvitur, satisfecerit. Quilibet probus vir gaudebit, si ejus subjecti, præter quam, quod id impleant, cui se addixerunt, etiam aliud aliquid viis licitis lucrentur. *Debemus vivere, sed etiam sinere, ut alii vivant.* Sed a majoribus nostris hæreditate accepimus, & simul longo rerum usu sumus docti, si in similibus casibus parvos errores dissimulemus, solere longe majores, & deinde magis noxios consequi.

Nemo repente malus; per parva itur ad magna. Abominamur primum scelus, tum illi appropinquamus, postea illud eminus sectamur, demum ita illi fimus familiares, ut instar quotidianæ vestis abeat in consuetudinem. Eapropter minimas patrimonii contrectationes necesse est illico vindicare, in hoc enim sensu proverbium: *Debemus vivere sed etiam sinere, ut alii vivant,* est valde, imo maxime periculosum.

Nos utique in cognitione rerum utilium insignes fecimus progressionem; verum facilitas judicandi, quam hac ratione adepti sumus, nos ad technas texendas promptiores reddidit. Multum dubito, an non sit bonum, quod hac methodo nobis comparavi-

mus, si ad bilancem ponatur, a malo præponderandum. Ego de nullo volo ferre sinistrum iudicium, sed, quantum apparet, moralitas nimium concidit.

Nostri quidem nasutuli propugnant, sensum moralem unius cujusque hominis sufficere ad formandos bonos homines, etiamsi religio in auxilium non vocetur. Dicunt enim, hac via posse bonos mores confirmari, at nondum esse tentatam. — Bone Deus! Obligatio bene agendi ex respectu legis civilis apud quemlibet in plurimis casibus, si non in omnibus, minus ponderis habet, quam præceptum religionis: vita malum, si non vis a Deo, tanquam vindice malorum, in hac & altera vita puniri.

Sententia autem: *Posset aliter esse, si periculum fieret*, partim non est comprobata, cum nullum sit ejus specimen, partim experientiæ adversatur: *Historiæ testantur, hoc semper ita fuisse*. Nam, posterius fundatur in plurimum, quam bis mille annorum factò, primum autem continet tantum problema, cujus dubiam resolutionem eventus deberet docere.

Longe aliter se res habent in mundo in concreto spectato, quam in mundo in abstracto tantum considerato, qualis extra museum nec existere potest. Sed etiam vehementer

dolet ingenuis spectatoribus audire laudari Philosophiam moralem, tanquam unicum universale medicamentum, quæ positivis religionis legibus carere possit, & una animadvertere, quantopere defensores hujus systematis, quorum quilibet iterum suum cæteris antefendum contendit, publice inter se cum offensione aliorum decertent, seque ad dimicandum mordaciter provocent; ergo nec effectum propriæ tantopere laudatæ animi medicinæ in se ipsis fuisse expertos nobis persuadere possunt! *Exempla sunt odiosa.*

Debemus vivere, sed etiam sinere, ut alii vivant. Hoc proverbium illis potissimum applicari potest, qui ex statu suis necessitatibus accomodo, in alium, in quo longe majores impensæ faciendæ sunt, transiverunt. Huc pertinent in minoribus officiis constituti, qui relicta vita cœlibe matrimonium ineunt, multisque prolibus onerantur, ex gesto autem munere redditus necessitatibus sufficientes non percipiunt, neque salarium eorum augetur. Tales etiam sunt, qui determinatum annum habent stipendium, quin sive Respublica, sive Herus in considerationem sumat, rerum pretia esse nimium intensa, vitæ subsidia, habitationem, domesticam suppellectilem alterum tantum, atque prius exigere. Honestissimus etiam homo ad tam tristem redigitur statum, ut ægre possit vi-

tam tolerare. Utique affirmant severi morum magistri: Ut quid amplectitur talem vitæ statum? Theoretice hoc pulchre dicitur, an etiam practice? Ille a pueritia omnem conatum, & pecuniam eo impendit, ut pro tali officio sibi necessariam compareret rerum cognitionem: His ergo omnibus relictis in adulta ætate cum uxore, & prolibus se ad aratrum, aut ligna secanda convertat? iste perinde male colet agros, quemadmodum male cædet ligna. Ejus manus, habitus corporis, & consuetudines reddunt eum inhabilem ad similes operas præstandas. At tamen vivere debet! Et tunc quidem miseræ ejus conditioni adferendum est levamentum. — Debemus vivere, sed etiam sinere, ut alii vivant.

Nos omnino in sic dicta humanitate, & liberalitate multum profecimus; verum has decantatas virtutes proxime consequitur luxus, qui abripit omnes redditus, quos in has virtutes impendere possemus. Hoc idolum, hic luxus, ait quidam præclarus Scriptor, debet bona ita partiri, ut pars de superfluo divitum derivetur ad ærarium pauperum. Hac de causa propugnant publicæ œconomix periti, qui ex annuis 20 millium florenorum proventibus valde commode vivunt, a sana ratione alienum esse, velle, ne in civitate apud ullam privatam familiam magnæ opes cumulentur, siquidem his succurendum est

egenis. At hic cubat malum, dari in re publica homines, qui parce emenso stipendio coguntur suis muneribus fungi. Communes necessitates sint mensura, oportet, secundum quam annua Officialium salaria decernantur; quod si non fit, multa sunt dissimulanda, & cogitandum: Debemus vivere, sed etiam sinere, ut alii vivant.

Sine dubio in tali rerum situ opus erit deinde vigili oculo, ne illud vivere, & sinere alios vivere nimium quantum invalescat, ex eo enim, si non universalis expilatio; in fine tamen nimis diffusæ subtilitates nascerentur, quas si postea omnes Officiales aucuparentur, ingens onus redundaret in rem publicam, atque ita sensim propagaretur, ut ipsa demum probitas perpolitata sportulis corrumpetur.

Inter magnos Europeos Status est Anglia in hoc proverbio: Vivere, & sinere alios vivere, quod commercium attinet, valde parca, & tenax, exitiosum enim infert Hispaniæ bellum. Interea videtur Hispania ex suo politico somno expergisci, nam, uti Madrito de 21. Decembris scribitur, heri ibidem Proclamatio Pacis Principis quoad bellum contra Angliam publicata est: In hac Princeps Pacis ante omnia significat, sibi tanquam supremo exercitus Duci (*Generalissimo*) administrationem novi belli esse a Rege con-

creditam, suæque Majestatis esse voluntatem, ut omnes magistratus in negotiis ad bellum pertinentibus se ad ipsum Principem convertant. Exponit dein modum agendi Magnæ Britanniae adversus Hispaniam his ultimis temporibus, totamque nationem provocat ad sumendam vindictam. Ut autem, ait in contextu, belliduces omnia summa cum libertate agere possint, securos eos reddo nomine Regis, non trahendos ad reddendas rationes de expeditionibus susceptis, & successu carituris, sed de eo tantum, si media parata adhibere neglexerint. In fine ita habetur: Turpem negotiationem furtivam abominemur ex animo. Si huic fuerint limites positi, si nemo Hispanorum inhonesto huic quæstui manum admoverit, si tota Europa, suis intenta commodis, industriæ Anglicæ suos portus clauserit, tunc vindicta erit perfecta, tunc intolerabilis eorum superbia reprimetur, tunc protervi hi juris gentium violatores, & Despotæ maris, impotente furore perciti videbunt, congregatis suis opibus extremum imminere excidium. Sit una omnium nostrum voluntas, unum holocaustum. Quod si contra omnem spem inveniretur Hispanus, cujus pectus sacro igne defendendi patriam non arderet, fugiat conspectum aliorum civium, non sit illis offendiculo, non prosternat facinorosa sua meticulositate animos fortium. Qui per ætatem aut infirmitatem nequeunt ipsi huic heroico certamini interesse, illi facultatibus, & con-

siliis propositum a sua Majestate finem promovebunt. Denique quilibet Regi subjectus, qui voluerit aliquam privatam expeditionem suscipere contra Angliam, atque in hanc rem egerit auxilio gubernii, communicet mecum suam mentem; si fuerit probata, & reipsa in detrimentum hostis, & gloriam Hispaniæ tetenderit, omnibus necessariis administriculis instruetur.

---

In eadem hac Officina Belnayana sequentes præter complures alios, libri venales

præstant :

- Theophon, vagy a' tapasztalt Tanácsadó a' ta palzatatlan Ifjúfág Hasznára. 1804. in 8. 1 fl. 45 kr. Posta papirofra 3 fl. Fényes papirofra 6 fl. 40 xr.
- Hertzeg Piripionak tündér története, Wieland után írta Magyar Földjének mulattatására Fellegvary Agoston. 8. 1804. 36 kr.
- Historia Regni Hungariæ e probatissimis Scriptoribus synoptice deducta. Posonii 1804. 8. maj. 1 fl. 30 xr. script. 2 fl. 15 xr.
- Andromache, Bajazet und Iphigenie in Aulis. Drey Trauerspiele vom Racine; metrisch übersetzt von Ayrenhoff. 1804. 48 kr.
- Nitsch, Gedichte. 2 Thle. 1 fl. 15 xr.
- Wieland, Téli Rege. 8. 20 kr.
- Keresztényi oktatás a' Bútsúkról. 8. 12 xr.
- Elisa, avagy millyennek kell lenni az Afzfzony nak. 8. 1 fl. 30 kr. in Charta scriptoria 2 fl.